

rum est animadversum , culcitas centonesque quos habere poterant , aquis immergebant , eosque pinnis & fenestrīs , ex quibus propugnarent , interponebant . iis neque pix adhærescere , neque ignis nocere propter humorem poterat . Ita se tandem , compluribus suorum ante absump̄tis , pr̄emunire ac tueri didicerunt . Sed capto oppido , ut diximus , Nicolaus Priolus pr̄etor & milites , qui ad defendendum municipium per Alpium crepidines missi hostem circumfusum & sedentem fefellerant , suaque virtute ac fortitudine eorum impetum ad eam diem sustinuerant , in arcem se recipiunt . Veneti , qui omnino in se longe majus , quam initio crediderant , excitatum bellum videbant , neque in Camerte , quantum oportebat , industriæ virtutisque agnoscerent , a Roberto Severinate petunt , ut imperium totius belli una cum Camerte administrandi magna opinione civitatis sibi delatum lato animo accipiat , & quo celerius fieri potest , suis cum militibus , & liberis , claris bello adolescentibus , viæ se det , atque in Rheticum Alpesque contendat . Robertus , qui , posteaquam Innocentius Pontifex maximus eum missum fecit , in agrum Patavinum se contulerat , atque ibi apud oppidum Citadellam , quod ei una cum urbanis ædibus , cumque amoenissimo ac per amplio apud Veronam fundo & villa , in Ferrariensis belli exitu Senatus dono dedit , sine imperio , sine stipendio complures menses commoratus , ægre se suosque milites aluerat , illam ipsam sibi occasionem suæ vel amplificandæ , vel omnino retinendæ dignitatis dari votis omnibus cupiebat : itaque accepto peropportune imperio , ad bellum proficiscitur . Eo cum venit , modo in spe , modo in metu Veneti s̄æpe fuerunt : s̄æpe marte ambiguo levibus præliis est certatum : ponte etiam navibus imposito , ut & copiæ transmitti , & commeatus ex altera fluminis regione supportari facile possent , utrunque ripam conjunxit . Eodem quoque tempore Germanorum militum centuriæ aliquot in Vicetinos & Feltrinos saltus , atque in Carnorum fines repente immisæ , plus terroris quam periculi intulerunt , propterea quod Hjeronymus